



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 11. Emendati loci aliquot è libello Q. Ciceronis De petitione
consulatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

quod ad rem faciat, dicere; cum de motu vitioque agatur. ac tum maxime, si aduersarius eorum aliqui negauerit. Illud autem praeteriens admonebo: in hoc loco explicando, vbi apud Aristotelem legitur, *ἐπιτομή ἐπιτομῆς ἐπιτομῆς*, mihi legendum videri, *ἐπιτομή ἐπιτομῆς*. Quartus modus est, qui neque necessitatem, neque necessitatis similitudinem habet vllam. quod sit, si *πρὸ ἀντιπαλάφῃ* inter disputandum exciderit sollicitum, aut falsa historia, aut aliquid tale: & tu in eum virgeas.

Emendati loci aliquot è libello Q. Ciceronis De Petitione consulatus. CAP. XI.

NUNC, quia non omnes eadem iuuant: esseque *κατ' ἐπέκειντο τὸ Εὐειπίδειον, μεταβολὴ πάντων γλωσσῶν* omittamus paulisper Aristotelem: & alios leuiores operæ scriptores, quoad possumus, adiuuemus. Et autem in omni re laudabili atque honesta, etiam non consecuta operis effectione, voluntatis laudanda pro pensio. ac quoniam M. Tulij libros à mendis iam aliquot vindicauimus: volumus quidem certè, Q. etiam Tullio eius fratri praestemus idem officium: & quem illius vnicum habemus de petitione consulatus commentariolum accuratissimè atque artificiosissimè scriptum, operæ aliquid in eo purgando sumamus. Igitur ex ipso quidem limine ac vestibulo mendum vitium sustulimus iam, iis in Scholiis, quæ annò in Propertium edidimus. cum enim vulgo ita legatur, *Et si omnia suppetunt, quæ consequi ingenio, aut vsu homines, aut diligentia possunt.* docuimus, vocem, *homines*, temerè additam, & illud, *consequi*, *παθητικῶς* positum esse. paulò post autem vbi fratris amicitias generatim enumerat: ita legitur, *Deinde & amicorum multitudo, & generatim*

appareant. habes enim ea, quae noui habuerunt: omnes ferè publicanos, totum ferè equestrem ordinem, multa praeterea municipia, &c. quo loco, quin isti *παιδολέτορες*, qui praeclearas suas glossas vbique inferciebant, verbum, habuerunt, de suo addiderint, neminem, considerata re, dubitaturum opinor. Nam qui tandem illa noui habuerant? aut quid magni erat, ea habere Ciceronem, quae noui habuissent? Noui igitur, priore syllaba producta legendum est: ut sit: *ἐχρησθη δὲ ἐγὼ δὲ*: non autem, *ἐχρησθη δὲ ἐγὼ οἱ κενὸν*. leuiusculum hoc est, quod dicturus sum: sed dicam tamen. nulla est enim tam parua macula, quam, non pulchrum sit, è bonis libris eluere. ubi ergo est, *Iam P. Galbam, & L. Casium*: pro, *Iam*, legendum puto, *Nam*. Illud grauius. quòd cum exposuisset multas causas, ob quas Antonium Cicero pro nihilo putare deberet: de Catilina ingrediens loqui, ita scribit: *Atrox verò, dii boni, quo splendore est? primum nobilitate eadem. num maiore? non: sed virtute.* Iidem autem illi stercorei glossographi, quos glossis suis aliquid aliud facere, non libros contaminare oportebat: ad illa verba, *Primum nobilitate eadem*, auctarium addiderunt, *qua Catilina*. atque ita fuere bardi, ut non animaduertent, de ipso Catilina sermonem esse. Nam illa, quae sequuntur, *Quamobrem qui inanius umbram suam metuit*, corrupta esse video: quomodo emendari debeant, non video. Venit mihi quidem in mentem aliquid: sed nihil satis firmi. nemo autem, qui praestat quod potest, quòd quaedam non possit, reprehendus est.

Ex eodem libello emendati aliquot loci.

CAPVT XII.

NON eos modò, qui corruptos praestantium scriptorum locos emendant, praecclare operam suam poner

Mureti
via Lectione
LII
28